

**Lvdovici Molinæ, E Societate Iesv Theologiæ Doctoris, &  
Professoris, Commentaria, In primam D. Thomæ partem**

**Molina, Luis de**

**Lugduni, 1622**

Qvæstio LXII. De perfectione Angelorum in esse gratiæ & gloriæ.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73915](#)

nostrorum liberati. seruiamus illi in sanctitate & iustitia. At verò datum ita esse nobis, tamen absque traditione usque ad Christi adventum: promissio namque, præfertim ea, quia firma est & certa, datio atque donatio dicitur, etiam ante traditionem, sumpto tamen latius vocabulo. Exponi etiam potest, datum fuisse nobis, id est, constitutum dari ante tempora secularia, id est, ex aeternitate.

*Ad secundum.*

Quod ad secundum argumentum attinet, septuaginta Interpretes in hunc modum transferunt locum illum: *Quando facta sunt astra, laudaverunt me vox magna omnes Angeli mei.* Eamque lectionem fecuti ferè omnes Patres illi, qui Angelos ante mundum corporeum conditos esse affirmant, ex eo loco ea ratione suam colligunt sententiam, quasi astra vna cum mundo corporeo sint condita, Angelique debuerint fabricam astrorum præcedere, ut quando astra Deus condebat, ex eorum opificio ipsum laudarept. At neque astra simul cum mundo corporeo esse cœperunt, quandoquidem quarta die à Deo fuerunt producta, vt Genef. i. Scriptura aperte docet: nec verò sic cum mundo corporeo esse cœpissent, præberent ansam sufficientem, vt inde illa tentativa colligeretur. In quo enim momento Angeli conditi fuerunt, ex sui, & ceterarum rerum creaturarum contemplatione assurgere optimè potuerunt in laudem Dei, rēque ipsa affurrexerunt. Quod ad editionem vulgatam attinet, ab illi verbis: *Cum me laudabant simul omnia astra matutina*, distincta est interrogatio, unde supplēdūm, repertendūmque est: *Vbi eras cùm me laudabant simul omnia astra matutina*, id est, matutino tempore ante lucem solis apparent, quando aduentante iam die iucundior est eorum aspectus, & iubilarent omnes filii Dei, id est, omnes Angelii iusti: & quasi dicat, nūquam tūc eras. Porrò laus illa astrorum, metaphorica est communis omnibus creaturis cognitione parentibus, eo modo quo de celis dicitur: *Cæli enarrant gloriam Dei, & opera manuum eius annunciat firmamentum, Dies dei eructat verbum, &c. & sæpi in Psalmis creaturæ omnes ad laudem Dei inuitantur: ex illis autem verbis nequam colligitur Angelos ante mundum corporeum fuisse factos.*

*Ad tertium.*

Ad tertium dicendum est, Luciferum ea ratione fuisse principium viarum Dei, quod nulla creaturam eum duratione antecesserit, & quod ipse prælatione perfectionis & dignitatis cæteras antecesserit.

*Ad quartum.*

Ad quartum quamvis dīcī posset, sapientia etiam creatam Angelorū, ea ratione post affirmari fuisse primò creatam, quod nihil ante eam creatum fuerit, quodque (simul cum subiecto spectata) cætera dignitate antecedat, dicendum tamen est, locum illum de sapientia sumpta pro Filio Dei esse intelligendum: dici verò creatam, hoc est, productam ante omnia: quo pacto verbum, *creare*, sæpe usurpatum.

*Ad primam partē quinti argumenti.*

Ad primam partem quinti argumenti, dicendum est, si quicquam probaret, probaturam etiam hominem conditum esse ante cæteras res corporeas, & cælos ante terram, & ita de reliquis rebus, quæ alias dignitate antecedunt, quod tamē constat esse falsum. Pulchritudo autem vniuersi postulabat, vt omnia simul conderentur, nisi Deus sua sapientia & arbitrio elegisset res corporeas sex primis diebus fabricare propter rationes in tractatu de opere sex dierum reddendas, & propter alias, quas ipse melius, quam nos, habet cognitas & perfectas.

*Ad secundū.*

Ad secundam partem dicendum est, cū à quo cumque pūcto durationis imaginaria, in quo Deus Angelos condiderit, præcesserit infinita duratio, in

A qua nihil condidit, ac administravit, eamdem vim habere argumentum, siue quis dicat Angelos simul cum mundo corporeo, siue ante mundum corporeum fuisse conditos: quare cū hæreticum sit affirmare Angelos ex aeternitate fuisse conditos, constat argumentum nullam vim habere. Præfertim cū ex creatione & administratione rerum nihil, vel commodi, vel perfectionis Deo accrescat.

#### ARTICVLVS IV.

*Virum Angeli sint creati in celo Empyreo.*

**C**OMMUNIS conclusio Scholastico-  
rum est, Angelos in celo empyreo vna  
cum illo fuisse creatos. Eam affirmant  
etiam Beda cum Strabone super illud  
Genef. i. *In principio creauit Deus cælum & terram.*  
Et plerique alij, potestque probari creatos esse in  
celo ex illo ad Coloss. i. *In ipso condita sunt uni-  
versa in celo & in terra, siue Throni, siue Domina-  
tiones, &c.* Præterea quia angelii mali in celo pec-  
cauerunt, & de celo corruerunt, vt articulo præce-  
denti multis ostensum est, quare in eo erant, & in  
eo conditi sunt. Cū autē simul cum mundo cor-  
poro sint conditi, neque statim à principio Deus  
orbis mobiles creauerit, fit, vt in celo Empyreo  
sint cōditi, quod nomine celi Genef. i. intelligitur,  
dum dicitur: *In principio creauit Deus cælum & ter-  
ram: fit etiam vt Angeli, qui orbis cœlestes mouent,  
in celo Empyreo sint conditi vna cum cæstis An-  
gelis, inde verò descenderint ad mouendum orbis  
sibi commissos, cū primum orbis conditi sunt, &  
moueri coepérunt. Et forte descensus ille, & depu-  
tatio Angelorum ad mouendos orbis, fuit post fi-  
nitam Angelorum viam, atque adeò post peccatum  
quorundam, & beatitudinem reliquorum. Quod si  
fuit ante finitam eorum viam, eos Deus sua prouid-  
entia deputauit, quos prævidit pro sua libertate  
non lapsuros.*

#### QVÆSTIO LXII.

De perfectione Angelorum in esse  
gratia & gloria.

#### ARTICVLVS I.

*Virum Angeli fuerint in sua creatione beati.*

**R**IMA conclusio est. Angelii statim, <sup>1. Canticum</sup> ac creati sunt, fuerunt beati beatitudine <sup>Angeli</sup> naturali, quæ in ea cognitione & con-  
templatione Dei optimi maximæ, quæ in <sup>2. Cantico</sup> instanti, in quo creati sunt, seipso perfectè cognoverunt, & in seipso causam primam Deum optimum maximum, à quo conditi sunt, attributum que omnia, <sup>3. Cantico</sup> F quæ de eo naturaliter cognosci valent.

Secunda conclusio. Angelii non fuerunt creati beati beatitudine supernaturali, quæ in visione diuinæ essentiae consistit: quoniam ab hac fænæ adde-  
pta nullus decidere potest: Angelii autem mali deci-  
derunt ab eo statu, in quo conditi sunt, vt ex Scri-  
pturis sanctis constat ergo non fuerunt in eo beatitudinis statu producti.

Sunt tamen nonnulla animaduertenda. Primum  
est. Licet omnes Angelii (etiam qui corruerunt)  
fuerint

**Demones di-**  
**cendos nō of-**  
**fobatos etia-**  
**beatitudine**  
**naturali cō-**  
**templativa.**

Suerint beati beatitudine speculativa naturali ante peccatum, manerentque in eis cognitio illa naturalis, quam ante peccatum haberunt, simpliciter tam, nec beatitudine naturali, etiam cōtemplativa, dæmones dicēdos esse beatos. Tum quoniam beatitudo naturalis contemplativa moralem beatitudinem (quæ in demonibus non manit, supponit, & prærequit tamquam conditionem, dispositionem, ornamenti, atque connexum quoddam, sine quo cognitio, & contemplatio naturalis, esto sublimis sit, beatitudinis nomen non meretur. Vnde Aristoteles postquam explicat in libris Ethicorum felicitatem actuam nouem prioribus libris tamquam fundamentum, dispositionem, & annexum quoddam felicitatis cōtemplative decimo libro de contemplativa felicitate differit. Tum etiam quoniam dæmones ex contemplatione & cognitione naturali Dei, nullum gaudium, nullamque delectationem recipiunt, eo quod cruciatus, & pena eos delectari non finit. Deinde in peccato iustum subtrahat concussum suum generalem, ne ex tali contemplatione delectatio aliqua in eis oratur: quis autem eiusmodi contemplationem efficere quemquam beatum dicere audeat? Præsertim cum ex sua nequitia, inordinationeque voluntatis, ex tali notitia in odiū Dei exardescant, & in tristitiam de perfectionibus, quas in eo cognoscunt: quod fit, ut ex praua ipsorum dispositione eiusmodi cognitio potius in maiorem corum miseriā, quam felicitatem cedat.

**Angeli om-**  
**nes in beatitudo-**  
**naturale super-**  
**naturali in-**  
**feruntur**  
**etiam fuisse**  
**conduto.**

Secundum est, Angelos non solum fuisse conditos in beatitudine, tam morati, quam contemplativa naturali, sed etiam in supernaturali infra beatam, idque propter habitus supernaturales tam fidei, sapientie, &c. ex parte intellectus, quam caritatis, spei, &c. ex parte voluntatis, vt in sequentibus patet. Vnde de Lucifero sub persona Regis Tyri Ezech. 28. dicitur: *Tu signaculum similitudinis, plenus sapientia, perfectus decoro, in delictis Paradisi Dei frusti, omnis lapis pretiosus operemur tuum. Tu Cherub extensis, & protegens, & posui te in monte sancto Dei, in medio lapidum ignoriorum ambulasti, perfectus in viis tuis à die conditionis tuae, donec malitia inuenta est in te.* Vnde Angeli malante peccatum, Deum caritatem supernaturale dilexerunt, & ex felicitate morali, & speculativa eam naturali quam supernaturali gaudium maximum & delectationem percepserunt, vt non immergitur beatus Iudas in sua canonica scelitissimum illum statum appellauerit principatum, dicens: *Angelos, qui non seruauerunt suum principatum, sed dereliquerunt suum domicilium, vinculis eternis, &c.* De eiusmodi supernaturali felicitate intelligendum est illud Gennadij de Ecclesiasticis dogmatibus, cap. 59. *Angeli qui in illa, qua creati sunt, beatitudine perseverant, & alia similia aliorum Patrum.*

## ARTICVLVS II.

*Vtrum Angelus indigerit gratia ad hoc,*  
*quod conuerteretur ad Deum.*

**Angeli ex**  
**sua natura-**  
**liberis diligen-**  
**te potuerunt**  
**Deum super**  
**omniā dilec-**  
**tione susci-**  
**tati.**

**O N C L V S I O** est. Angelus ex suis naturalibus diligere potuit Deum dilectione naturali: vt tamen conuerteretur ad Deum per dilectionem vita eternæ commensurata, per quam proinde vita eternæ efficeretur dignus, necessaria illi fuit gratia supernaturalis. Legem quæ diximus in Concordia, quæst. 14. artic. 3. a disputat. 3.

## ARTICVLVS III.

*Vtrum Angeli sint creati in gratia.*

**E R M O** est de gratia gratum faciente. **Angeli.** & primum parentem non fuisse creatos in gratia affirmat Hugo de sancto Victore lib. 1. de Sacramentis par. 1. cap. 19. & 22. Ruper-

tus 1. de Trinitate, cap. 16. Magister in 2. distinct. 5. & duabus praecedentibus. Alexander Alensis 2. par. quæst. 19. memb. 2. D. Bonaventura in 2. distinct. 4. artic. 1. quæst. 2. Richardus ibidem artic. 2. quæst. 2. Argentinas distin. 5. artic. 2. Marsilius in 2. quæst. 4. artic. 1. Gabriel verò in 4. dist. 5. q. 1. artic. 2. hanc & contrariant sententiam vt probabiles defendit. Scotus autem dist. 5. quæst. antecip. videtur esse. Quo loco obserua, hos autores non solum fuisse arbitrios, Angelos malos non fuisse creatos in gratia, sed etiam numquam eos gratiam habuisse. Scotum excipio, qui hac de re antecip. etiam est. De primo autem parente Doctores predicti affirmant communiter in 2. dist. 29. cum non fuisse quidem creatum in gratia, eam tamen habuisse ante peccatum.

Proabant primò suam sententiam. Quoniam Deus non sanctificat creaturam vñlū liberī arbitrij habentem, nisi ipsa semper ipsam ad gratiam disponat, & preparat per bonum vñlū sui arbitrij: ergo Deus neque Angelos, neque primum parentem creavit in gratia: sed primum parentem iustificauit post illius creationem, ipso prius bene vrente suo libero arbitrio: Angelos vero malos, qui numquam bene vñlū sunt libero arbitrio, numquam iustificauit.

Secundò, si Angeli creati fuissent in gratia, sane gratia non minus esset eis naturalis, quam species eis in instanti, in quo sunt conditi, infusa: sed gratia nulli creature est naturalis: ergo Angeli non sunt creati in gratia.

Tertio, Ioannes Papa, cap. Visis. 16. quæst. 2. de diabolo ait: *Dolet & erubescit caritatem, quam in calo nequirit habere, homines constantes ex lutea materia tenere in terra:* ergo diabolus numquam habuit caritatem & gratiam: si namque habuisset, qui uisset vtique eam habere.

Quarto, quoniam Gregor. 32. Moralium, cap. 18. iuxta impressionem Pacificiensem anni 1571. & iuxta vetustiorem, cap. 25. eiusdem lib. 32. exponens illud

Ezechiel. 28. *Aurum quodque decoris tui, & foramina tua, in die qua conditus es preparata sunt.* de Lucifero ait: *Huius lapidis foramina preparata sunt, quia videbilet capax caritatis est conditus, qua, si repleri voluisset, stantibus Angelis, tamquam positis in Regis ornamento lapidibus, potuisset inhevere.* Et nonnullis interiecti inferunt: *Habuit ergo lapis iste foramina, sed per superbie vñlū caritatis auro non sunt repleta: censet ergo Gregorius, numquam in Lucifero fuisse caritatem & gratiam, & pari ratione neque in aliis Angelis, qui cum illo corruerunt.*

Contra sententiam, que dicit Angelos & primum parentem creatos fuisse in gratia, est D. Thom. quod ad Angelos quidem hoc loco, quoad primum verò parentem inferius quæst. 95. artic. 1. Gratiani de parentitate dist. 1. per multa capita, preferrum cap. Cuius, quo ad Angelos, & cap. *Tolle caritatem,* quo ad primum parentem. Eamdem tenet Durandus in 2. dist. 4. quæst. 1. Maior ibidem quæst. vnica. Alberrus Magnus dist. 3. Gregorius ibidem quæst. 1. artic. 3. conclusione 1. Sotus 1. de natura & gratia, cap. 5. & plerique alii, estque nobis amplectēda. Sunt verò raulta

Contraria  
sententia  
vera est.

multa Scripturæ testimonia, quæ eamdem videntur sonare sententiam. Et in primis duo illa Ezechiel. 28. & beati Iude articulo præcedente relata. Vnde Gregor. 32. Moralium, cap. 8. exponens locum illum Ezechielis: *Quid boni, inquit, non habuit Lucifer, si signaculum Dei similitudinis fuit?* Præterea Ioan. 8. de Lucifero dicitur: *In veritate non stetit: fuit ergo aliquid in veritate; at ambulauit in veritate, &flare in veritate;* in Scripturis est, esse in gratia, iuxta illud 1. Ioan. 3. *Non diligamus verbo & lingua, sed ope- re & veritate.* In hoc cognoscimus, quoniam ex veritate sumus. Et illud 2. Ioan. *Gaudius sum, valde quoniam inueni de filiis tuis ambulantes in veritate.* Et epist. 3. *Maiorem horum non habeo gratiam, quam ut audiam filios meos in veritate ambulare,* & 1. ad Corinth. 1. *Qui stat, videat ne cadat,* & 4. Reg. 20. *Obsecro Do- mine, memento queso quomodo ambulauerim coram te in veritate.*

Hanc eamdem sententiam confirmat multorum Patrum testimonia. Basilius in illud Psal. 32. *Verbo Domini celi firmati sunt, Angelos, inquit, initio vir essem, Verbum opifex omnium condidit: sanctificationem vero simul impedit ipsi Spiritus sanctus.* Et paucis interiectis: *In prima, inquit, constitutione, & quasi quadam confessione sue substantie, simul insusam habuerunt sanctitatem.* Augustin. 11. de ciuitate Dei: *Nullo, inquit, modo secundum aliquod temporis statutum prius erant illi spiritus tenebre, quos Angelos dicimus, sed simul, ut facili sunt, luci facili sunt, non tamen ita tantum creati, ut quoquo modo essent, & quoquo modo vivuerent, sed etiam illuminati, ut sapienter beatèque vivuerent. Ab hac illuminatione auersi quidam Angeli non obtinuerunt excellentiam sapientis, beatèque vita, qua proculdubio non nisi aeterna eternitasque sua est certa, atque secura; sed & rationalem vitam licet insipiem, sic habent, ut eam non possint amittere, nec se velint. Quatenus autem antequam peccasse illius sapientia fuerint D participes, definitus quis potest.* Et 12. de ciuitate Dei, cap. 9. Deus, inquit, in Angelis simul erat condens na- turam, & largiens gratiam. Hieronymus in illud Ofcæ, cap. 3. *Dilexerunt vincia vuarum de filiis Israël, ait: Pristinam gratiam perdidere: sicut demones, qui lapsi de propria dignitate, & nihil antiqua gratia possidentes, aridi sunt, & veteri scititate marcentes.* Damascenus 2. lib. fidei Orthodoxa, cap. 3. *Per Verbum Dei, inquit, creati sunt Angelos, & per sanctificationem Spiritus sancti perfecti, pro sua dignitate, & ordinis ratione illuminationem & gratiam participantes,* Cyrus 6. lib. in Ioan. cap. 8. sic ait: *In veritate non sicut, quia prolapsus est à veritate, nec voluit manere in sua origine sanctitatem, à iusto & bono Angelo diabolus factus est.* Gregorius 32. lib. Moralium, cap. 18. de Lucifero ait: *In medio ignitorum lapidum ambulauit, quia inter Angelorum corda igne caritatis succensa clausa gloria conditionis extitit.*

De primo parente multis autoritates sanctorum refert Magister in 2. dist. 19. cap. 2. Quod fuerit in gratia ante peccatum. Accedit definitio illa Ecclesiæ in Concilio Tridentino, sess. 5. §. 2. *Si quis non confiteretur primum hominem Adam cum mandatum Dei in Paradiso fuisse transgressus, statim sanctitatem, & iniustiam, in qua constitutus fuerat, amisisse, anathema sit.* Et §. 1. *Si quis Ad prevaricationem sibi soli, & non eius propagini asserti noctuisse, & acceptam à Deo sanctitatem, & iniustiam, quam perdidit sibi soli, & non nobis etiam cum perdidisse, anathema sit.* Quod vero primus parente non solum fuerit in gratia ante peccatum, sed etiam in ea fuerit creatus, probari potest. Quoniam parvuli non alia de causa contrahunt peccatum originale, nisi quia primo parenti collata fue-

A rat gratiæ, tamquam donum naturæ radici & trunco, ex quo tota natura humana erat propaganda, collatum: quia enim ipsi, & nobis gratia fuerat collata, seipsum, & nos suo illo peccato eti indignos effecit. Atque hæc est ratio, quare solum primum peccatum primi parentis, quo illa amissa est, in nos deriuere, reliqua vero minimè: gratia ergo à Deo collata Adamo era donum naturæ, & non persona, ac proinde quemadmodum in nos sine illa nostra dispositione ac motu liberi arbitrii simul cum natura erat deriuenda, parvulique in statu innocentia forent in gratia nascitur, sic etiam primo parenti collata fuit simul cum natura absque ullo motu liberi arbitrii ipsius præcedente. Ac sanè pars est ratio quod eodem modo collata fuerit Angelis. Præterea parvuli, qui discedunt sine baptismo incurvant penam damnationis, quæ in carentia visionis diuina effientur est posita, ut ex cap. *Maiores causa, de baptismo & eius effectu constat: sed carentia visionis diuina effientur non efficit penam pueris, nisi ad illam habuissent ius per gratiam ipsius in primo parente collatam, quam primus parentis sibi, & ipsi amissit, ut patet, quia si parvulus nasceretur in puris naturalibus, & discederet ab hac vita, antequam perueniret ad vnum rationis C carentia visionis beatificare non efficit pena in eogeno Adam habuit gratiam ante peccatum, sibi & posteris suis collatam tamquam donum naturæ, & ob id sine illa sua dispositione. Accedit Anacleto, qui epistola sua prima decretali eleganter explicat primos parentes in gratia, virtutibusque omnibus repletos, fuisse conditos: tuncque hominem plus esse ad similitudinem Dei, qui caritas est, quando gratia, caritate, & virtutibus omnibus est repletus: & quia primi parentes tales sunt conditi, ait Genet. 1. dicti conditos, ad imaginem & similitudinem Dei. Subiungitque: *Quas virtutes, quanto plus quisque in seipso habet, tanto proprius est Deo, & maior est, ac sui conditoris gerit similitudinem.* Et infra: *Quapropter quisque diligenter attendat primæ conditionis sue excellentiam: & venerandam sanctam Trinitatem in seipso imaginem agnoscat, honorabilemque similitudinem diuina, ad quam creatus est, nobilitatem morum, executionem virtutum, dignitatem meritorum habere contendat, ut quando apparuerit qualis sit, tunc similis ei appareat, qui se mirabiliter ad similitudinem suam in primo Adam condidit, & mirabilius in secundo reformatus.* Gregorius autem loco citato infert optimè, tanto abundantiora & praestantiora dona collata fuisse Lucifero in sua prima constitutione, quanto Adamo, quanto plus est, creatum esse signaculum similitudinis Dei, quam factum solum esse ad imaginem & similitudinem Dei. Vnde: *Quid, inquit, non habuit, qui signaculum Dei similitudinis fuit.* Ex dictis constat non esse tutam in fide, immò errorem esse in fide post definitionem Concilii Tridentini, sententiam Marsili in 2. q. 16. art. 6. & Paludani in 4. distinct. 27. q. 4. artic. 4. conclusi, afferentes, primum parentem non habuisse gratiam ante peccatum.*

Superioribus rationibus, quibus ostensum est tam Angelos, quam primos parentes conditos fuisse in gratia, accedit ratio quam tangit D. Thomas hoc loco. Nempe, sicut Deus res cæteras in esse perfecit prodixit, eisque semina indidit (aut certè virtutes, quibus in eis semina essent) vnde similia viuentia efficerentur, contonum sic esse, ut creaturas intellegantur, liberisque arbitrio prædictas, prædixerit perfectas, ac cum semine vita aeterna, quo cum finem, ad quem condebantur, valerent promerentur: cuiusmodi autem semen est gratia, ut ex illo 1. Ioan. 3. *Omnia qui natus est ex Deo, peccatum non facit, quoniam seminatur*

Originalis  
peccatum cur  
in nos trans-  
fundatur.

sius in eo manet, est manifestum. Licet enim Deus  
creaturas libero arbitrio præditas non considerit  
cum ultimo fine, tum quod exercere prius eas vel-  
let, & quasi periculum de eis facere: tum etiā quod  
honorificentius multò illis est propter meritis ad  
eum peruenire: concedens fuit, ut cum omnibus  
mediis, ad eum finem propriis operibus promerendu-  
m, necessariis eas considerit: gratia autem non  
est finis virtutis, sed medium ad eum, atque ad pro-  
prium meritum necessarium.

*Ad primum argumentum in contrarium dicen-*  
*dum est, antecedens solum esse verum de creatura,*  
*qua per peccatum amissi iustitiam & gratiam, de-*  
*bètque de statu peccati transire ad statum iustitiae:*  
*concedens nāque est, vt plus Deus ab eo exigat, qui*  
*per peccatum iustitiam amissi, quam ab eo, qui num-  
quam illam demeruit: & plus ab eo exigat, qui per*  
*proprium actum, quam ab eo qui per alienum eam*  
*amisit. Vnde aequissimè constituit Deus, vt qui pec-  
cando per proprium actum liberi arbitrij nostri, aut*

*primi parentis, ab eo recessimus, cooperando per*  
*proprium actum, Deo ipso adiuuante, aut certè per*  
*actum alterius, quis sacramentum applicet, quo pa-  
cto pueri ante vñum rationis iustificantur, ad eum*  
*redeamus. Quamvis enim Deus eas tabulas dolaue-  
rit & aptauerit, in quibus ante peccatum filiorum*  
*Irae legem scripsit: eas tamen, in quibus secundò*  
*legem cōscriptis, prioribus ob populi scelus à Moy-  
se confractis, dolatas iam & aptatas sibi tradi iussit,*  
*plus aliquid post peccatum ab hominibus exigens,*  
*ve illud idem beneficium conferret.*

*Quoniamdam*  
*sententia de*  
*dispositione*  
*Angelorum*  
*ad primam*  
*gratiam.*

Sunt qui velint, primam gratiam collatam An-  
gelis in instanti, in quo sunt conditi, non fuisse illis  
collatam sine propria dispositione eorum per suum  
liberi arbitrium, imò pro qualitate dispositionis  
cuiusque plus vel minus gratie fuisse illis collatum:  
non secus ac nobis adulisti, dum à peccato resurgimus,  
confertur prima gratia prævia nostra disposi-  
tionis per nostrum liberum arbitrium, & pro quanti-  
tate, & qualitate dispositionis. Addunt hi autores,  
actum quo tam nos, dum à peccato resurgimus, ad  
primam gratiam ultimò disponimur, quam Angeli  
in primo instanti ad primam gratiam seipso dispo-  
suerunt, emanare efficienter ab ipsa gratia, atque  
ad eò esse posteriorem illa in genere causæ efficien-  
tis: esse vero priorem illa in genere causæ materia-  
lis, & dispositivæ.

*Angeli sine*  
*vila prævia*  
*dispositione*  
*gratia fuisse*  
*collatum.*

Longè probabilius existimo Angelos sine vila  
prævia sua dispositione gratia acceperisse, idque probat  
ratio D. Thomæ hoc loco, & reliqua quæ dicta  
sunt, neque contrarium docet articulo sequenti, ut  
ibi dicimus: Non dubito etiam dispositionem ultimam  
nostram ad primam gratiam non emanare effi-  
cienter à prima gratia, quatenus est dispositio, sed  
per auxilia alia particularia adiuuari liberum arbitrium  
nostrum, vt se disponat ad primam gratiam,  
vt in Concordia quæst. 14. artic. 13. disputat. 44.  
ostensum est.

*Ad secundum.*

Ad secundum neganda est sequela: ordō enim, si-  
nisque naturalis, ad quem Angeli conditi sunt, po-  
stulat, vt infundantur eis species, vt quæst. 15. art. 2.  
explicatum est, & idè sunt eis naturales ista verò  
nec naturalis ordo, nec finis naturalis postulat, vt  
eis infundatur gratia, quæ ad finem supernatura-  
lem conducit.

*Ad tertium.*

Ad tertium dicendum est, sensum illorum ver-  
borum esse, nequissime illam habere, postquam eam  
amisit: quia non est ei datus locus penitentia. Vel  
certè nequissime habere caritatem consummatam  
perseuerantem vsque ad terminum viæ, quam

A homines in terra tenent.

Ad quartum dicendum est, apertissimè Grego-  
rium eo loco docere, Luciferum creatum esse in-  
gratia, vt ex aliis, quæ ex eodem Gregorio eo loco  
retulimus, est manifestum. Quod autem illis verbis  
tradit, hoc sensu accipi debet: iuxta verba illa Pro-  
pheta: præter aurum caritatis, in quo primò Lucifer  
conditus est, concepit Gregorius Luciferum instar  
lapidis pretiosi, in quo foramina quædam sint facta,  
quibus filum auri inseratur, & affigatur vestimento  
vñ cum aliis pretiosis lapidibus, huiusmodi autem  
filum auri, quo Lucifer vñ cum aliis Angelis iustis-  
foret inserueran bona opera meritoria, & ca-  
ritas perseuerans vsque ad terminum viæ: huius ca-  
ritatis ait Gregorius Luciferum fuisse capacem, &  
hanc non habuisse: & idè foramina illius fuisse va-  
cuæ hac caritate.

#### ARTICVLVS IV.

Vtrum Angelus creatus suam beatitu-  
dinem meruerit.

*C*ONVENIVNT omnes, Angelum  
suam meruisse beatitudinem, assevera-  
rēque contrarium non solum temera-  
rium, sed & pericolosum esset in fide.  
Propter rationes namque, quas articulo præcedente  
reddidimus, & alias ipsi melius, quam nobis no-  
tas, merito constituit Deus, non aliter puris creatu-  
ris, quam vñliberi arbitrij haberent, suam beatitudinem  
conferre, quam ex propriis carum meritis  
gratia ipsius suffulcis. Dixi, puris creaturis, propter  
Christum Dominum, de quo tercia parte est dispu-  
tandum, merueritne gloriam suæ proprieæ animæ.  
Addidi, que vñliberi arbitrij, propter eos, qui ad  
vñliberi arbitrij nō pertinent. Hi namque me-  
ritis Christi, sibi per sacramenta applicatis, in vitam  
æternam absque meritis propriis peruenire possunt.

Tota autem controvergia est, vtrum Angeli me-  
ruerint suam beatitudinem, antequam eam conse-  
querentur. Quidam (ni fallor propter Augustini  
de cognitione matutina Angelorum, & propter alia  
tam ipsius quam quorundam aliorum Parrum testi-  
monia) arbitrii sunt, Angelos non habuisse grati-  
am ante beatitudinem: & quia non datur meritum  
vitæ æternæ sine gratia, in duas opiniones diuisi sunt.

Quidam eorum dixerunt, simul duratione Angelos  
in instanti, in quo primò fuerunt beati, & suam pro-  
meruisse beatitudinem, & fuisse beatos, sed prius na-  
ture eam commeruisse, quam essent beatis: non secus  
ac nos, cum à peccato resurgimus, simul duratione  
suffulti auxilio diuino disponimus nos ad primam  
gratiam, cùm consequimur, cùm tamē prius  
natura nos ad eam disponamus, quam eam conse-  
quamur. Alij verò dixerūt, Angelos per opera, quæ  
erant exhibuti, quando in ministerio propter eos,  
qui hæreditatem capiunt salutis, mitterentur, nō  
que custodiunt, meruisse gloriam, consecutos esse  
gratiā, atque ad eò præmium in eis fuisse ante meri-  
tum: non secus ac quando miles accipit equum  
aut arma, quibus militet, in præmium militia futu-  
ra, præmium antecedens meritum.

Quo loco illud obiter admonuerim, cauendum  
errorem Origenis honai. 20. & 24. in Numeros: &  
13. & 35. in Lucam, quibus in locis affirmat, Ange-  
los sanctos in nostram custodiam depūtatos non so-  
lum mereri nos rite custodiendo, sed etiam deme-  
ri, posseque peccare nos segniter custodiendo,  
indéque

Origenis or-  
nor canadu.

indéqué fore iudicandos, & hinc habere dependentiam, ut in futurum faciem Patris videant. Id namque vel est contra illud Matth. 18. *Angeli eorum semper vident faciem Patris mei*, vel certe contra rationem visionis beatifica, beatitudinisque Angelorum, qua non minus sempiterna est, quam nostra, postquam semel fuerit adepta. Vnde Augustinus in Enchiridio, cap. 57. Sed de illa, inquit, *Ecclesia, qua in cœlis est*, affirmare quid possumus, nisi quod nullus in ea malus est, nec quisquam deinceps de illa cecidit, aut casurus est, ex quo Deus Angelis peccantibus non pepercit. Et 11. de Cœnitate Dei, cap. 13. *Procul dubio*, inquit, multò durius nunc putare Angelos sanctos aeterni sue beatitudinis incertos, & ipsos de semetipsis ignorare, quod nos de illis per Scripturas sanctas nosse potuimus. Quis enim Catholicus Christianus ignorat, nullum nostrum diabolum ex bonis Angelis viterius futurum? veritas quippe in Euangelio sancti fidelibus promittit, quod erunt *æquales Angelis Dei: quibus etiam promittit, quod ibunt in vitam eternam*. Porro autem si nos certi sumus, numquam nos ex illâ immortali felicitate casuros illi vero certi non sunt, iam potiores, non *æquales eis erimus*, sed quia nequaquam veritas fallit, & *æquales eis erimus*, profecto etiam ipsi certi sunt sue felicitatis aeterna. Et Fulgentius de fide ad Petrum 3. tomo operum Augustini: *Firmissimè tene, & nullatenus dubites, omnem creaturam naturaliter mutabilem à Deo incommutabiliter factam, nec tamen posse quenlibet sanitum Angelorum in deterius mutari, quia sic accepérant eternam beatitudinem, qua Deo stabiliter perfruuntur, ut ea carere non possint*. Errorem Origens videtur amplecti Hieronymus lib. 2. Comment. in Michæam in illa verba 6. cap. *Surge, contende iudicio aduersus montes*. Sextus Senensis lib. 5. Bibliotheca annotat. 126. Hieronymum excusare vult, quod ex aliorum sententia loquatur.

*Magistri opinio.  
Suadetur à quibusdam primis.*

Priorem ex duabus sententiis relatis secutus est D. Thomas cum aliis in 2. dist. 5. quæst. 2. artic. 2. & quodlib. 9. artic. 8. sed eam hoc loci retractavit. Vide Capreolum in 2. dist. 5. q. 1. art. 1. concl. 2. Postremo vero secutus est Magister in 2. dist. 5. c. vlt. Neque eam reputat improbatum D. Bonaventura eadem dist. q. vlt. licet oppositum amplectatur. Quidam argumentantur pro opinione Magistri. Primo, quoniam Angeli per bona opera, quæ liberè nobis proper amorem Dei exhibent, aliquid merentur, sed non merentur præmium, quod de novo accipiunt, ergo præmium quod à principio accepérant.

Secundo, magnum præmium non datur nisi pro magnis & multis meritis: sed Angeli ante gloriam, nec magna, nec multa merita habuerunt: eo quod duratio, qua gloriam eorum antecessit, fuerit admodum breuis, & difficultas in operando nulla, cum ergo accepérant magnam gloriæ & præmium, consequens est ut eam non meruerint nisi per sequentia opera.

*Angeli prius duratio  
beatitudinē meruerunt, quam eam finit  
consecuta.*

Neutra harum duarum opinionum probatur à Doctoribus. Vnde merito communis eorum opinio est, Angeli prius duratione meruisse præmium & gloriam, & postea in termino viæ eam fuisse affercitos. Quæ sane opinio, & intellectu est facilis, & ratione consentanea: cōsonum quippe est, vt quemadmodum Deus vniuersique nostrum certum tempus viæ prescrivit, in cuius termino præmium aut pœnam pro meritis aut demeritis confert: sic quoque Angelis certum viæ prescribit spatium, quo finito, aut poena mulcet, aut præmio pro meritis eos asseret. Obferua vtramque opinionem ex mente ferè omnium suorum autòrum supponere, Angelos non fuisse conditos in gratia. Cum autem ar-

A ticulo præcedente contrarium ostendetimus, inde etiam vtraque euersa relinquuntur.

Posterior, quæ est Magistri, minùs probari solet à Doctoribus, quā prior. Primo, quoniam si per opera, quæ consequntur gloriam, merentur Angeli vita aeternam, cūm non minùs meritoria sint alia eorum opera ( vt laudes, quas Deo liberè concidunt) pro his etiam vitam præmerentur aeternam: quare cūm hæc per totam aeternitatem sint multiplicanda, merentur præmium infinitum quod est absurdum. Secundò, qui neque damnatis pro malis operibus, quæ liberè præstabunt in perpetuū, vt pro blasphemis, &c. accrescit pœna, neque hominibus beatis gloria pro bonis operibus, quæ post gloriam ademptam similiter exercebunt liberè, eo quod sint iam extra viæ statum, ac proinde merendi & demerendi: alioquin, & illis gloria, & itis pœna accresceret sine ullo termino. Vnde Christus Ioan. 10. *Venit, inquit, nox quando nemo poterit operari*, quod scilicet in præmium cedat, eaque in fine viæ adueniente, reddetur denarius diurnus iis qui in vinea militantis Ecclesie laborarunt: ergo paratione Angeli sancti per opera bona, quæ post gloriam acceptam exhibebunt, nō merentur præmium essentiale. Hinc intelliges, priuilegium & miraculum fuisse in Christo, quod simili esset comprehensor & viator, vt redimere posset genus humani. Tertiò, quoniam si per bona opera prævisa præmerent possent gloriam, pari etiam ratione possent præmereri gratiam: vnde sequeretur, primam gratiam cadere sub merito, atque aedò gratia iam nō esset gratia, vt Paulus ad Rom. 11. argumentatur. Quare non satis tutam iudico eam sententiam. His accedit præmium sempiterna beatitudinis suæ natura, ac proinde de lege ordinaria subsequi meritum: cūm ergo nulla fuerit ratio, quare Angelis præmium ante meritum Deus contulerit: sit, vt prius eos constituerit in via, & pro qualitate meritorum, quæ sua libertate in via compararunt, in termino illius affecterit eisdem præmio.

Priorem opinionem, licet minus ea à Doctoribus improbetur, quā posterior, certe non solum falsam, sed & parum tutam in fide esse arbitror: neque est eadem ratio, vt sicut ultima dispositio ad gratia coniuncta esse potest cum prima gratia in eodem temporis puncto: sed prius natura, quam gratia adsit: sic quoq; actus meritorius coniunctus esse possit in eodem temporis puncto cum visione beatifica, vt quæst. sequenti artic. 6. fier manifestum.

Ad primum ergo argumentum, quo opinio Magistri confirmabatur, neganda est maior, si sit sermo de præmio essentiali: sunt enim extra statum viæ, atque ad eum extra statum merendi & demerendi, eo quod nihil mali iam tūc efficere possint: sicut dñi, cūm sint extra viam, nihil boni moralis attingere possunt: quocirca beati illis operibus in eo statu non merentur præmium essentiale.

Atque hinc etiam soluitur argumentum illud, quod fit sumpta similitudine ex milite, cui ante militiam equus, aut arma tradūtur in præmium, ac præmium militum futura: huiusmodi namque præmium nihil pugnat cum merito futuro, nec ex natura rei illud impideat: præmium autem essentiale beatorum pugnat cum merito illius, quod fit post illud comparatum: eo quod ex natura rei constitutum est, qui illud habet, extra viam, redditque cum imponentem ad peccandum.

Ad secundum dicendum est, ad magnum præmium non tam requiri multa opera quam magnam gratiam Dei, & magnum conatum ac feruor in operando,

Nonnulli ho-  
mines Ange-  
li omnibus  
premio ex-  
cellunt.

operando, quæ duo Angeli habuerunt, & idcirco habita ratione gloria, quam sine propriis meritis pro magnitudine gratia gratis simul cum natura sibi donata acceperunt, uno aut paucis actibus, tam nobilibus quam Angeli pro nobilitate, virtusque sue nature elicere potuerunt, sine illa ex parte operis difficultate, mereri potuerunt plus præmij, quam nos multo pluribus actibus nostris mereamur. Non est tamen negandum, multis esse, ex hominibus iusti, qui in merito & præmio multos Angelos excedant, & aliquos esse inter eos, præfertim Dominam nostram, qui omnes excedant.

## ARTICVLVS V.

*Vtrum Angelus statim post unum actum meriti beatitudinem habuit.*

**H**ic articulus commodius discutitur cum articulo questionis sequentis.

## ARTICVLVS VI.

*Vtrum Angelii sint consecuti gratiam, & gloriam secundum quantitatem suorum naturalium.*

D.Thomæ  
Magistri  
sententia.

**D**IUS Thomas hoc loco, tamquam ratione magis consentaneum, affirmat cum Magistro in 2. dist. 3. Angelos, quod inter se sunt perfectiores naturæ, eo plus gratia & gloria fuisse consecutos. Tum quod ratione congruat, ut Deus quod perfectiores naturas Angelicas condebat, eo ad altiores gradus gratia & gloria, eas ordinauerit, atque adeo meritis maiorem copiam gratia perfectioribus, quam imperfectioribus, contulerit, D quando eas creavit, & maiora auxilia eis praestiverit, quibus ad maius deuenirent meritum. Tum etiam quoniam cum ad operandum nullum habent impedimentum, nihilque quod eas retardet, vt nos habemus partem sensitivam liberam nostrum arbitrium retardantem, rationi est consonum, vt Angeli per suum arbitrium operari fuerint toto conatu: quare cum perfectiores plus potuerint conati, intensiusque valuerint operari, meritum vero ex parte conatus, intentionis, & feruoris in operando augeatur: consequens est, vt rationi sit validum conatum, Angelos perfectiores in naturalibus plus meruisse, ad maioremque gratiam & gloriam pervenisse. In eadem sententia videtur fuisse Damascenus 2. lib. fidei orthodoxæ cap. 3. dum dixit: *Per Verbum Dei creati sunt Angelii, & per sanctificationem Spiritus sancti perfecti pro sua dignitate & ordinis ratione illuminationem & gratiam participantibus.*

Ilud admonerim, ex eo quod D. Thomas hoc loco doceat, Angelos quo perfectiores fuerunt naturæ, sed efficacius ad Deum fuisse conuersos, plurime gratis fuisse consecutos, non sequi illum existimat totam gratiam fuisse illis datum pro qualitate conuersonis, dependenterque à conuersione tamquam à dispositione ad primam gratiam: in gratia enim Angelis collata distinguenda est portio, quæ data est illis ex propriis meritis gratia diuina adiutis, tamquam augmentum gratia meritis gratis data: distinguenda etiam est alia portio illis omnino gratis data: non fecis ac in nobis distinguuntur augmentum gratia, quod nobis datur ex nostris meritis, à prima gratia meritis gratis nobis collata.

Molina in D.Thom.

A Quando ergo D.Thomas doceat gratiam collatam illis fuisse pro quantitate conuersonis illorum in Deum, loquitur de prima illa portione gratiae, quam distinximus: non vero de secunda.

D.Thomæ  
Magistri op-  
tionem non  
esse omnino  
certam.

Illud etiam obserua, doctrinam hanc D. Thomæ, & Magistri non esse certam: natura namque humana ad altiorem gradum eleuata est in Christo & in Beata Virgine, quam natura Angelicæ, illis in naturalibus perfectiores sunt euctæ. *Nusquam Angelos apprehendit, sed semen Abraham apprehendit*, ait Paulus ad Hebreos 2. Præterea multi ex hominibus, vt Apostoli, martyres, & insignes Confessores, & ordinati sunt ad maiorem gratiam, & gloriam, quam multi Angeloram. Deinde quod ad secundum fundamentum D.Thomæ attinet, sicut Angelii perfectiores in naturalibus pro libertate sui arbitrij peccare potuerunt, & de facto quidam eorum peccaverunt: sic pro eadem libertate potuerunt remissiū operari, quam alijs inferiores in naturalibus, vel exercere se in operibus minoris meriti ex suo genere. Quod fit, vt de hac re nihil sit certum: tametsi probabilitate non careant fundamenta, quibus innexus est D.Thomas.

## ARTICVLVS VII.

*Vtrum in Angelis beatis remaneat cognitione naturalis.*

**G**ENCLVSTIO D. Thomæ est. In Angelis cum visione beatifica manet cognitione naturalis quam deo habent per suam substantiam, & per ceteras res creatas. Similiter cum dilectione supernaturali patriæ, manet dilectio naturalis. Ratio est, quoniam actus naturalis non repugnat supernaturali de eodem obiecto, quemadmodum actus fidei repugnat visioni beatifica propter inevidentiam: & idcirco licet actus fidei manere non possit cum visione beatifica, scientia tamen naturalis deo optimè potest manere. Verum de hac re tercia parte, cum de scientia animæ Christi, & de merito Christi fuerit iermo, erit disputandum.

Angelos una  
cum visione  
beatifica ha-  
bere cogni-  
tionem na-  
turalis de Deo.

## ARTICVLVS VIII.

*Vtrum Angelus beatus peccare posset.*

**Q**UESTIONEM hanc discussimus de beatis 1.2. q.4.art. 4. nonnulla adieci- peccare non  
mus q.10. art. 2. Faber Stapulensis in possunt.  
lib. de triclini Magdalena, D.Thomam reprobatur, quod assertur Angelos non possunt peccare. Nam, inquit, Job cap. 4. habetur: *In Ange- li suis reperit prauitatem.* Hoc tamen testimonium intelligitur de Angelis dum erant in via, verumque est ratione dæmonum, qui corrueunt. Quod si Faber est arbitratus, Angelos beatos possunt adeptam beatitudinem posse re ipsa peccare, sanè grauiter erravit, ut art. 4. est ostensum.

## ARTICVLVS IX.

*Vtrum Angelus beatus in beatitudine possit proficere.*

**M**AGISTER in 2. dist. 11. probabilitas existi- maut, Angelos usque ad diem iudicij in re falso Ma- merito, & beatitudine proficere. Con- gister senserit, tractari conclusionem statuit D.Thomas hoc loco: Fff Angelos

Angeli qua-  
portione gra-  
tia habue-  
runt sine pre-  
mia dispositio-  
ne, quam  
erunt.

Angeli videlicet in beatitudine præmiōe essentiālē nō proficere. Ratio artic. 4. p̄cedente est redditia. Præter ea autem quā ibi dicta sunt, potest id confirmari: Quoniam homines beati proficere nequeunt in beatitudine: ergo neque Angeli. Consequentia videtur nota, cūm sit par ratio. Antecedens verò præter testimonia art. 4. citata, probatur ex illo ad Galat. 6. *Quis seminaverit homo, hae metet: qui seminat in spiritu, de spiritu metet vitam eternam: ergo dum tempus habemus operemur bona: quasi aperte dicat, post hanc vitam non amplius esse tempus seminandi ac metendi.*

*Gaudia acciden-*  
*talia beatorum ap-*  
*cadant sub*  
*meritum.*

Comm̄dā memoria doctrinā dñi. Thomā hoc loco in responsione ad tertium nempe gaudia accidentalia, in quibus proficiunt beati, iuxta illud Luca 15. Gaudiū erit in cœlo super uno peccatore paenitentiam agente, ita ad beatitudinē accidentiarum beatorum pertinere, ut illa propriè loquendo, non mergantur beati, nec propriè accipiāt ea in præmium: sed ex natura ipsa beatitudinis profluere, vt beatus gaudeat de bono suorum proximorum, & peculiari quadam ratione de eo, cuius ipse fuit aliquo modo causa, aut quod est alieuius, qui cum ipso magis, quam cum aliis beatis, aliquo modo coniunctus est. Confirmari potest, ciuiusmodi gaudia non cadere sub merita beatorum: quoniam quid beati illa habeant, pendet ex libero arbitrio peccatoris, qui vult, aut non vult conueri, suscipere aut non suscipere monitiones Angeli custodis: ergo gaudium illud non confertur Angelo beato in præmium, sed posita beatitudine resultat in beatitudinē ex hypothesi, quid ponatur obiectum ab alieno arbitrio pendens. Gloria corporis, aureola Martyrum, Virginum, & Doctorum, licet non pertineant ad gloriam animæ essentiālē, cadunt tamen aliquo modo sub merito, quod tales beati habuerunt in via, non vero sub merito, quod post adeptam beatitudinem essentiālē habent in patria. Et de beatitudine quidem corporis, dubitandum non est, quin cadat sub merito via.

*Item gloria*  
*corporis &*  
*aureole.*

### QVÆSTIO LXIII.

De Angelorum malitia.

### ARTICVLVS I.

*Vtrum malum culpe possit esse in Angelis.*

*Angeli sua*  
*pro natura*  
*sunt capaces*  
*malitia.*



ONCLVSIO affirmat, & est de fide, vt pater ex illo. lob. 4. In Angelis suis reperit prauitatem, & ex multis aliis testimoniis Scriptura, ex quibus constat, Angelos de facto peccasse. Ratio porosissima conclusionis est, quia habent libertatem arbitrij, neque sunt tātē perfectionis in suis naturalibus, quin apprehenso aliquo bono, quod recte ratione & legi Dei sit contrarium, amplecti illud possint per suum liberum arbitrium, atque adeo declinare à recte ratione, & lege Dei, ac peccare, non solum contra legem supernaturem, sed etiam contranaturem. Neque verum est, eam felicitatem moralem, quam viribus suis naturalibus possunt comparare, esse illis naturalem, vt naturale distinguatur contra liberum, hoc est, contra id quod in corum arbitrio est comparare, aut non comparare. Et enim licet sine difficultate comparare possint felicitatem moralem: eo quod (si attendere velint) facile perspicere possunt, quid rationi

*Beatus*  
*moralis an*  
*sit Angelis*  
*naturale.*

A recte sit consonum, quidque ab ea diffonet, nul lamque difficultatem patiantur ex parte sensualitatis, quam non habent: nihilominus nullum est obiectum (præter infinitum & illimitatum bonum clarè visum) comparatione cuius non habeant libertatem: quod exercitum actus, & multa sunt bona particulaRIA cum recta ratione pugnant; comparatione quorum libertatem habent: quod speciem actus, ita ut vel complecti, vel respire illa possint, prout maluerint, ac proinde peccare possunt contra legem naturalem, tam omitendo, quam committendo. Ac sanè, qui id negant, veras virtutes morales in Angelis negant, imo & foliūtatem moralem, laudemque ex ea consequentem

### ARTICVLVS II. & III.

*Vtrum Luciferi peccatum fuerit superbia ap-*  
*petieritque esse ut Deus.*

### DISPV TATI O VNICA.



T hac disputatio dilucidior sit in sequentia membra est diuidenda.

### M E M B R U M I.

*Sententia D. Thomæ, & sectatorum illius.*

**S** ENTENTIA D. Thomæ his duobus articulis & in responsione ad quatum articuli primi, sequentibus conclusiōibus continetur.

Prima est. Id quod Angelus, quando primō peccavit, appetiit, non poruit esse malum, sed bonum: quare non peccavit ex parte rei, quam appetiit, quasi illa esset mala, sed ex parte modi can appetiit, quia scilicet non appetiit, ut debuit.

Secunda est. Primum peccatum Angelii fuit superbia: & illud consecutum est inuidia.

Tertia est. Angelus, quando peccauit, appetiit ut Deus: non per aequalitatem, sed per similitudinem quamdam.

Quarta est. Primum peccatum Angelii in eo positum fuit, quid vel appetiit suam beatitudinem naturalem, tamquam ultimum finem simplicitatis, non curādo de beatitudine supernaturali, ad quam ordinabatur per gratiam: vel appetiit ultimam beatitudinem, ad quam ordinabatur supernaturaliter per gratiam, appetendo tamen illam suis virtibus naturalibus, non curando de diuino auxilio. Atque in vitro eatus appetiit similitudinem quamdam cum Deo, quatenus appetiit habere suam beatitudinem ultimam ex suis naturalibus: quod est proprium Dei.

Fundamentum primæ conclusionis D. Thomæ est, quoniam arbitratur voluntatem nihil posse appetere, nisi quod per intellectum fuerit prius iudicatum esse bonum: quare cum in intellectu Angelii non faciat error ante peccatum: atque non per præcessisset culpam: consequens est, ut id quod Angelus, quidam primō peccavit, appetiit, non poruit malum, sed bonum, ac proinde ut non peccavit ex parte rei, quam appetiit, sed ex parte modi, quo eam appetiit, quia scilicet non ut oportuit illam appetiit. Unde peccavit Angelus sine errore ex parte intellectus, eò quid iudicium quo ante appetitionem iudicavit, rem quam appetiit esse bonam, verum erat: at vero peccavit per actualē inaduentiam ad modum, quem in appetendo debet.